

# DISPVTATIO ET AXIOMATA DE VARIIS TENTATIONVM GENERIBVS.

QVOD FAVSTVM ET FOELIX SIT.

SEQVNSENTATIONVM MATERIA, ALIQVOT

Thesibus explicata, publicè ad disputandum proponetur Ingolstadij in Schola Theologorum, undecimo Calendarum Nouemb. Sustinebit eam & pro singulari eruditione

sua tueri conabitur Venerandus & eruditus vir, ingenuarum disciplinarum Magister, & Sacrarum literarum Baccalaureus, D. Ioannes

Pinderus Dillingensis. Georgio Theandro S.S. Theologiae Doctore, & professore ordinario operam suam eidem, sicuti  
opus fuerit, non denegaturo, ut qui præses disputationis sit futurus.

## PROBLEM.

**C**um Deus tentauerit, non Abraham modo, sed et plerosq; alios sanctissimos viros grauiter, et scriptura dicit alibi. Tentauit eos Dominus, et inuenit eos dignos se: non immerito queri potest ( inquit D. Augustinus ) Quomodo hoc uerum sit, cum dicat in epistola sua D. Iacobus Apostolus, quod Deus neminem tentet?

## AXIOMATA.

- I Duplex tentandi genus Scriptura usurpat. Alterum, quo probatur homo, qualis sit. Alterum, quo prouocatur, ut peccet, & ( ut D. Augustinus loquitur ) quo peccato implicatur.
- II Primum tentandi genus & Deo conuenit, & hominibus: quanquam non ex equo. Tentat enim homo, ut experimentum sumat de eo, quod nesciebat antea.
- III Deus tentat, ut probet, ait D. Augustinus, uel ut coronet: Quemadmodum D. Ambrosius explicat: qui etiam cum sit omnisciens, & quem nulla lateat cogitatio, non tentat, ut aliquid cognoscat, quod ignorariit antea, sed ut illo tentante, quod in homine occultum est, prodatur.
- IV Quia sunt in homine occulta ipsi homini, in quo sunt, ait D. Augustinus, & non procedunt, neq; aperiuntur, neq; inueniuntur, nisi in temptationibus.
- V Hoc modo tentauit Deus Abrahamum, Iobum, aliosq; Sanctissimos patres, ut fidem scilicet illorum, obedientiam, patientiam, ceterasq; præclaras uirtutes, seu clarissima mundi lumina posteritati intuenda proponeret.
- VI Nisi Deus tentasset Abramum, maximam fidem eius totus adhuc mundus ignoraret: Obedientiam quoq; illius, quam nunc non sine stupore admiramur, nesciremus.
- VII Hoc temptationis genus, non est, quod quisquam metuat, ut quod bonum sit, & ad primè conductat homini. Quem enim tentat Deus, probat, erudit, fidem & timorem Dei auget, ut sic probatum tandem quoq; coronet.
- VIII Porro cum caput Genesios XXI. de temptatione Abrahe, quod iam publicè enarramus, disputationis huius occasionem nobis dederit, sicut sanè iusti Abrahami tentatio ea grauior & longè maior, quam que humano iudicio comprehendendi, penetrari aut uinci queat.
- IX Ratio humana statuere nihil poterat aliud, quam aut mentiri, & irritam esse promissionem Diuinam, que erat: In Isaaco uocabitur tibi semen: Aut si rata foret promissio, non esse mandatum Dei, Sed Satanæ potius insidias, & Suggestionem, ut Isaacus iuguletur.
- X In hac lucta Abrahamus, posthabita ratione humana, oculos mentis per fidem in Deum coniecit, credens quod Deus filium etiam immolatum uite restituere posset, qui mundum hunc ex nibilo creasset: Quemadmodum epistola Eboracorum clare docet. Neq; enim dubitauit Abrahamus, quin redi sibi posset filius imolatus, qui dari potuit non speratus, ait D. Augustinus.
- XI Cum Deus uota sibi offerri cupiat, non crudeliter col ( ait D. Augustinus ) & pugnet cum ipsa pietate ex Diametro quodammodo, ut iubeatur filius trucidari a parente, adeo etiam ut non facile credi queat, Deum imperare parricidium, qui prohibeat homicidium, sicut sanè Abrahamus adeo certus inibi de uerbo Dei, & diuinitus edoctus, ut dubitate non posset, quin hoc esset mandatum Dei, non antiqui serpentis dolus.
- XII Multi hoc iusti Abrahami exemplum, in imolandis liberis sequi tentarunt, ut testatur cultus Moloch Et David inquit: Imolauerunt filios suos & filias suas Daemonijs &c. Sed quia uerbo Dei duce caruerunt, grauissime peccauerunt, & immanis superstitionis reos se fecerunt.
- XIII Quamvis autem cedes innocentis pugnet cum lege naturæ, & Decalogus prohibeat homicidium, multo magis scilicet parricidium, lumen tamen prophetæ clarius esse solet, et multò illustrius lumine naturæ: & ut legislator superior est lege a se condita, ita eueniens solet nonnunquam, & certæ possunt esse cause, cur legislatori liceat soluere legem suam.
- XIV Preterea cum semel moriendum sit omnibus hominibus, id quod inobedientiæ protoplasti acceptum serimus, adeo ut nemo quantumlibet iustus etiam a communi hac lege eximatur, non sicut sanè ita innocens Isaacus coram Deo, quin exigere posset ab eo illud mortis debitum: Ut quis sit uite & mortis Dominus, & a quolibet repeterere possit debitum mortis, ubi, quando & quomodo uoluerit.
- XV Iam altero temptationis genere infensissime nos oppugnant, & sine intermissione etiam, humani generis hostes, Diaboli, Mundus & Caro, ut peccato implicant, fidem in nobis obruant, & timorem Dei perdant.
- XVI Hoc pacto Deus neminem tentat: id quod Apostolus Iacobus dicere uoluit: Cum enim natura bonus sit, ut malis tentationi non potest, ita nec ipse quemquam tentat: ut qui sit, eodem Apostolo teste, πτέριαστος κακῶν.

- XVII Diabolus quamvis ad omne peccati genus prouocet, cum primis tamen ad peccata spiritus, cuiusmodi sunt inuidia, superbia, heres, blasphemia, desp & ratio. Caro, ad luxum, ocium, ignauiam, uenerem. Mundus ad honores, pomposas, & omnis generis seculi lascivias & uanitates.
- XVIII Ut hostis internus, familiaris, & quem nobiscum semper circumferimus nocentior est & difficilius uincitur eo, quæ extrinsecus & aperto Marte nos inuidit, ita grauiores sunt titillationes carnis: Hec enim interius nos oppugnans de nostro contra nos roboratur.
- XIX Etsi carni, & mundo sue non desunt illecebres & persuasions, quibus hominem capiant & inescant, originem tam men trahunt ex ipso malorum omnium incentore & authore Diabolo, qui protoplastos eò misericet detrusit, ut hinc secuta sit uitiorum ministrorum mala illa carnis concupiscentia, & omnis generis mala infinita, qui recte profinde & propriè ab Apostolo uocatur tentator, cum inquit. Ne forte tentauerit uos is qui teneat.
- XX Nemo quidem à Deo petere debet, ut temptationibus prorsus careat: quoniam & illa mala temptationis, ait D. Augustinus, nullam habere temptationem, interim tamen orare iubemur à Christo aſidue ne inducamur in temptationem: hoc quod intelligitur non ut non tentemur omnino, sed ne, uel nos consentire sinat temptationibus Deus: uel in temptationum periculis, nos suo destitutus auxilio.
- XXI Quando omnis uita nostra militia est super terram, ut recte interpres noster נָתָן Ebraicum reddidit, profecto temptationibus omnino carere non possumus. Etsi enim mundus interdum & caro conuiscant, Diabolus tamen ex proposito, atq; adeo perpetuo nos infestat, & ne ad minimum quidem temporis momentum à nobis recedit: qui tamen, nisi ille, qui tentatur locum dederit, inanis & irridendus repellitur.
- XXII Proinde tentatio, nisi ei consentiat, non habet peccatum, sed materia est exercendæ uirtutis, & adipiscendæ coronæ præseruim cum Apostolus pronunciet, Neminem coronatum iri, nisi legitime certauerit.
- XXIII Qui perfecti fuerint, ut in quibus signis Charitatis non facile à uento temptationis queat extingui, orent cum Davide. Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum. Dicant item cum D. Augustino. Domine hic punire, seca, ut in eternum parcas. Nam de ijs loquitur D. Iacobus. Pro gaudio ( inquiens ) ducite fratres mei, si in uarias temptationes incideritis.
- XXIV Sed cum in hoc certaminis genere pugnax admodum & robustus sit hostis: Mars quoq; anceps, proinde qui probe nouerint imbecillas uires suas, non petant cum hoste conserere manus: neq; in hac anticipi pugna uires suas temptationibus experiri, que tamen si eueniunt præter voluntatem, ex quo animo ferantur, & ita decertetur aduersus eas, ut tandem gloriiosus reportetur triumphus.
- XXV Licet Diabolus ex inimicitijs, quæ iam olim in Paradiso Deus constituit inter mulierem & serpentem, & semen utriusq; tām atroci & fatali nos odio prosequatur, ut nunquam non insidias struat, & nos in uniuersum perditos cupiat omnes: Fidelis tamen Deus, qui frigerit potentiam eius, & non sinat nos tentari ultra uires nostras sed faciat etiam cum temptatione prouentum, ut possumus sustinere.
- XXVI Porro inuidia motus est Diabolus, ut hominem fraudibus suis circumuenire deiceret, ne posset ascendere eò per obedientiam humiliatis, unde ipse corrueat per superbiam. Vidi enim & inuidit, ait D. Bernhardus. Et Scriptura. Inuidia ( inquit ) Diaboli mors intrauit in orbem terrarum.
- XXVII Precessit autem in animo hominis elatio quædam, per quam Diaboli suggestioni consensit, & exinde secutum est peccatum illud inobedientiæ, ut contra preceptum ederet de fructu uerbi, hinc & peccati poena, & uite huius miseria innumeræ, in qua homo per Diaboli temptationem detrusus est.
- XXVIII Permisit Deus hominem tentari, quem sciuit casurum: quia non esset laudabile homini, si ideo bene uiueret, quia nemo male uiuere suaderet. Et est multò gloriiosius non consentire, quam tentari non posse.
- XXIX Cum enim Deus reliquerit hominem in manu consilij sui, poterat nimurum non nisi uolens uinci. Diabolus autem poterat uinci etiam nolens. Sic enim Deus, res quas condidit, administrat, ut eas proprios motus agere sinat, ait D. Augustinus.
- XXX Preuidit etiam Deus, quid boni de malis esset facturus: Et ideo permisit hominem tentari, ut ex lapsu eius maiora eliceret bona, inter quæ præcipue sunt, passio Christi, martyrum agones & triumphi, uirginum corona, & id genus aliorum sanctorum præmia, quæ non nisi strenue pugnabitibus debentur. Congruebat etiam Diuina iustitia, ut non daret præmium ante laborem & uictoram.

Ingolstadij, Anno a Christi natibus M. D. LVII.

